
J. J. Resen.

Appendix Uranologiæ sacræ
Ev. Joh. cap. III. v. 16-22.


Hafn., 1650.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

1,-240.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01346 8

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

APPENDIX.
URANOLOGIÆ SACRÆ.

Seu

Diſſertatio Theologica,

Ex Cap. III. Euangelii Johan.
à v. 16. ad v. 22.

De Εξηγήσει diviniſsima Colloqvii conſimilis, qvod habuit Chriſtus cum Nicodemo de Regeneratione.

Qvam

D. O. M. A.

In Regiâ Academia Hafnienſi, ad diem XXIV. *Aprilis, loco & horis conſvetis,*

PRÆSIDE

JOHANNE JOHANNIS
RESENIO, S. S. Theolog. D.
& P. P.

Publicè defendendam ſuſpicit

M. JOHANNES JANI JERSINUS.

HAFNIÆ,
Literis MELCHIORIS MARTZAN,
Academiæ Typographi.
ANNO CIↃ IↃC L.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

IN NOMINE JESU CHRISTI.

THESES I.

DIviniſſimum illud Servatoris cum Nicodemo, de Regeneratione, colloquiũ Joh. III. à v. 1. ad 16. deſcriptum, de quo ſuperiori Diſputatione, divinâ adjuti gratiâ, egimus breviſſimè, excipit ejusdem conſimilis Ἐξήγησις à v. 16. ad 22. Capitis ejusdem expreſſa, qvam etiam præſente Diſputatione, Deo ex alto noſtrum inſtitutum benè fortunante, ſub examen vocare decrevimus.

II.

De hâc Ἐξηγήσει, ſeu ejus verbis, ſint ne illa Chriſti ipſius, vel Euangeliſtæ potius, non eſt una omnium ſententia. Hujus qui eſſe volunt urgent textum in tertiâ perſonâ de Chriſto loqvi. Qvod argumentum nonnullis non ſatis ſolidum videtur, qvod de ſeipſo in tertiâ perſonâ loqvatur Chriſtus, tum alibi paſſim, tum etiam in hâc ipsâ concione, dum ſe v. 13. & 14 Filium hominis appellat.

III.

Solidior ergo illis videtur eſſe ſententia horum, qvi, cum antiqvis Patribus fermè omnibus, contendunt verba hæc ipſius Chriſti eſſe: tum qvia contextus optimè fluit, & plus authoritatis habet, ſi dicatur eſſe continuatio concionis Chriſti: tum qvia particula γὰρ oſtendit per αἰτιολογίαν cœptum à Chriſto ſermonem continuari; præterqvam qvod Johannes, qvi maximè occupatus fuit in deſcribendis ſermonibus Chriſti, non ſit ſolitus tales ſententias verbis Chriſti interſerere [imprimis qvando dubium aliqvod ſuboriri poterat, ejusne an Domini eſſent,] & phraſis præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

terea ipſa ac ſublimitas verborum autorem indicâre Chriſtum videatur.

IV.

Qvanqvam verò hæc argumenta ſtatuantur à qvibusdam eſſe qvantivis pretii, tàm ſtringentia tamen non ſunt, ut neceſſariò evincant, verba iſta prolata eſſe ab ipſo Chriſto: qvin potius adducimur, ut credamus, Johannem, pro ſuo ſublimi ſpiritu, illa, explanationis gratiâ, ſuperiori Chriſti concioni ſubjunxiſſe, idq; inprimis propterea, qvod conveniant magnâ ex parte cum iis, qvæ protulit ipſe prius cap. I. à v. 8. ad 14.

V.

Qvum igitur de Vitâ æternâ videndâ & conſeqvendâ hactenus Chriſto cum Nicodemo ſermo fuerit, explicatur & declaratur eadem doctrina, prius breviùs à Chriſto indicata, hâc Ἐξηγήσει uberius: dum primo generis humani, tanqvam Objecti, ſalutis adeoq; vitæ æternæ, ceu Finis, cauſa Efficiens, Impulſiva Meritoria & Organica hiſce exprimitur verbis: v. 16. οὕτω γὰρ ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν ὑιὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.

VI.

Mundi vocabulum heic accipitur non Adjectivè, ſive prout tribuitur Deo Habac. 1. v. 13. ſive prout accipitur vel Artificialiter, Exod. 25, 11. Levit. 24, 4. Vel Legaliter & typicè ut Gen. 7, 2. Levit. 4, 12. Num. 18, 11. 14. & Zach. 3, 15. Vel Spiritualiter Pſalm. 24, 4. Eſa. 1, 16. Matth. 5, 8. Luc. 11, 41. Joh. 13, 10. paſſimq; alibi in ſcripturâ: Vel etiam Supernaturaliter. Job. 15, 15. 25, 5. Sed Subſtantivè, & qvidem nec pro ingenti illa machinâ, cœlo & terrâ, ac omnibus, qvæ in

eâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

eâ continentur, in qva ſignificatione occurrit illa vox Job 28, 24. Matth. 13, 35. Joh. 1, 10. & 17, 24: Neq; pro orbe terrarum, terrâ ſcilicet, in qvâ homines vivunt ad tempus ut Joh. 1, 9. 10. & 6. v. 14. & 9, 5. Nec pro eo, qvod extra veram Dei in Chriſto notitiam & reverentiam homines in mundo ut pretioſum & ſibi conducibile ambiunt, avidè retinent, & deflent amiſſum, qvo modo accipi videtur Matth. 16, 26. I. Cor. 7, 31. Gal. 6, 14. I. Joh. 2, 15. & 4, 5. & paſſim alibi: Nec Specialiter & εἰδικῶς, pro certo aliqvo hominum genere, impiis ſcilicet ut Joh. 15, 18. & 17, 9; ſed Generaliter γενικῶς pro toto genere humano tam piis qvam impiis, id qvod ex v. 17. & 18. eſt manifeſtum; conferatur locus I. Joh. 2, 2.

VII.

Qvod autem contendunt Calviniani heic & in aliis locis accipi vocem Mundi pro Electis, illud tantum dicunt, ſed non probant, qvum ne unum qvidem locum producere qveant, in qvo vox illa pro ſolis Electis uſurpetur. Et ſi vel aliqvis dari poſſet, nondum tamen ſeqveretur etiam in illis ſcripturæ dictis eo ſenſu illam accipiendam eſſe, in qvibus agitur de Dilectione Dei, & Redemptione facta per Chriſtum, cujus generis hic eſt locus, qvum ſcriptura ipſa illud opus generaliter explicet Gen. 12, 3. Rom. 5, 18. & 14, 15. I. Cor. 8, 11. II. Cor. 5, 14. I. Tim. 2, 6. Ebr. 6, 14. & 10, 29. II. Petr. 2, 1.

VIII.

Hunc mundum, qvi totus in maligno poſitus eſt I. Joh. 5, 19. In qvo nihil niſi concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ I. Joh. 2, 16. qvi terrena capit Joh. 3, 12. mundana ſapit Phil. 3,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

19. eademq; deſiderat Tit. 3, 3. univerſum ſcilicet genus humanum, de qvo verè dicitur qvod omnes declinaverint, & inutiles facti ſint Pſal. 14, 3. & qvod omnes peccaverint, ac deſtituantur gloriâ Dei Rom. 3, 23. concluſi ſub peccato Rom. 11, 32. adeo ut non ſit qvi faciat bonum, ne unus quidem Pſal. 14, 2. [qvò etiam hâc appellatione, qvâ potius uti voluit Euangeliſta qvam hominis, reſpicere videtur,] dilexit Deus, non qvidem eâ tantum dilectione, qvâ univerſum mundum, & cuncta qvæ fecit diligit, ſed eâ, qvâ talem mundum immundum, homines ſcilicet lapſos, ſingulari qvodam modo, præ Angelis lapſis, ad bonum aliqvod, Protoplaſtis qvidem naturale, poſteris vero ſupernaturale, ex merâ gratiâ ordinans, extollens, & non pertinaciter reſiſtentes ad ſe pertrahens, amplexus eſt.

IX.

Et hæc Dilectio, tanqvam cauſa vitæ æternæ προκαταρκτικὴ, proptereaq; non ſimulata, ſed vera & vehemens, omni admiratione digna eſt: unde etiam, raptus qvaſi in ſummam admirationem, dicit Euangeliſta, ὅτως ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον.

X.

Qvanqvam enim Deum amare & diligere non ſit mirabile, qvin potius mirabile eſſet ſi non diligeret, multæ tamen in hoc amore occurrunt cauſæ admirationis: tùm qvod extendat Deus amorem ſuum extra ſe ad homines, qvi amor tam vetus eſt, qvam proprius ejus erga ſe, Epheſ. 1, 4. II. Tim. 1, 9. Unde etiam Præterito utitur Euangeliſta dum dicit ἠγάπησεν: tum qvod ille amor ipſi neceſſarius & utilis non fuerit: tum qvod non ſolum non invenerit Deus in

homi-

homine, qvod amaret, præviumve amorem, ſed contra potius malum & demeritum cum inimicitia, propter qvæ odio & pœnâ eum perſeqveretur juſtiſſimè, Rom. 5, 8. 10. I. Joh. 4, 10. 19. tum qvod præcognoverat plurimos ingratos futuros pro tanto amore, & non tantum non redamaturos; ſed & majorem eorum partem, poſtqvam experti eſſent amoris ejus effecta, peccata peccatis accumulaturos: ut ita cum ſumma ſapientiâ & ſcientiâ conjuncta, omniq; ignorantiâ deſtituta fuerit hæc dilectio, exiſtente ipsâ divinâ bonitate ſolâ & ſufficiente causâ ac ratione amoris, nullâ verò reqviſitâ vel inventâ causâ ex partè eorum qvi amantur, proptereaq; neutiqvam temeraria.

XI.

Interim tamen non cogitandum eſt, qvod Deus ipſum peccatum diligat ſeu approbet, vel qvod non curet, ſive homines ſibi repugnent, ſive obſeqvantur, vel qvod homines in ſceleribus perſeverantes gratos & acceptos ſibi habeat: hoc enim ſimpliciter pugnat cum totâ doctrinâ Legis, cujus ne unum qvidem jota deſtrui & cadere poteſt, qvin impleatur Matth. 5, 18. Rom. 3, 31. Sed verbum Diligere complectitur miſericordiam, ſicut explicatur Eph. 2, 4. qvòd ſcilicet Deus proſpiciens in triſtiſſimam corruptionem, & miſerrimam perditionem totius generis humani, immensâ miſericordiâ & commiſeratione motus, cogitarit & decretum fecerit, [intercedente Filio, qvi Μεσίτης eſt æternus, & ſe offerente ſponte ad ſatisfactionem,] de redimendo & liberando genere humano, qvum interim Angelicam naturam, qvæ noſtrâ multò eſt præſtantior, lapſam præterierit, & in meritâ damnatione reliqverit; Qvæ conſideratio maximopere

moperè charitatem DEI erga nos commendat.

XII.

Hanc vero charitatem erga genus humanum declaravit Deus Pater, dum dedit Filium unigenitum, immenſi ſcilicet amoris commenſuratum donum. Non enim dedit Prophetam, vel Sanctum, vel Angelum aliqvem ex præcipuis; ſed Filium, hoc eſt, ſummè dilectum, ſuum, & naturalem & ſolum ex ſuâ ſubſtantiâ atq; eſſentiâ genitum Pſal. 2, 7. Heb. 1, 5. generatione verè eſſentiali, licet non Phyſicâ ſed hyperphyſicâ, ab æterno, modo incomprehenſibili, totumque ex ſe ſolo; unde in ſingulari dicitur Filius, & qvidem unigenitus, & ἴδιος Rom. 8, 32. non πρωτόκτιστος ſed πρωτότοκος, verus ſcilicet Deus cum Patre & Spiritu Sancto.

XIII.

Et hunc Filium dedit gratis, non vendidit pretio à mundo accepto, perinde ut Judas Matth. 26, 15. non mutuavit, non commutavit cum ulla alia re, ſed donavit mundo, Eſa. 9, 6. & qvidem exaltandum, ac ad mortem pro impiis ferendum, ſangvinemque ſuum miniſtrandum, qvo peccata mundi ablueret. O dilectionis magnitudinem! O ſublimitatem! qvæ etiam deſcribitur Pſal. 63, 7. & 130, 7. Luc. 1, 8. Rom. 5, 6. 8. 10. Eph. 2, 5. Col. 1, 13. Tit. 2, 11. & 3, 4. 5. I. Pet. 1, 3. & 2, 10. I. Joh. 4, 10.

XIV.

Hæc verba, cum tali conſideratione, opponuntur Epicureæ levitati cogitationum de reconciliatione hominum lapſorum cum Deo, qvaſi Deus ſolâ levi mutatione, ad morem hominum, genus humanum in gratiam receperit: Qvod ſi facere voluiſſet, non opus fuiſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

fuiſſet Chriſtum in cruce exaltari. Qvum vero Lex perpetua & immota regula juſtitiæ ſit in Deo, ita ut potius non modo genus humanum, ſed ipſum cœlum & terram interire neceſſe eſſet, qvam vel unicus apex Legis non impleretur Matth. 5, 18. ideo ſine perfectâ Legis impletione & ſine plenâ ſatisfactione pro peccatis mundi non potuit fieri redemptio, & reconciliatio mundi, qvi propter talem corruptionem malus vocatur I. Joh. 5, 19.

XV.

Qvum igitur homo corruptus Legem implere non poterat, nec per Angelum aliqvem conveniens fuit fieri redemptionem illorum qvi non eſſent ejusdem cum illis naturæ, qvo pretium redemptionis eſſet æqvivalens & juſtitiæ ſufficiens, decretum eſt in S. S. Trinitatis conſilio, ut redemptionis opus fieret per unigenitum Filium Dei, qvem neceſſum fuit incarnari in mundo realiter, qvo in humanâ naturâ aſſumptâ efficacem redemptionem perficeret, qvæ ad univerſum genus humanum pertineret.

XVI.

Non enim ſolâ aliqvâ deprecatione effici hoc potuit, ſed unigenitus Filius incarnatus, & ſub Lege factus Gal. 4, 4. traditus fuit pro nobis poteſtati tenebrarum Luc. 22, 53. ut illa omne jus, qvod ex Lege contra univerſum genus humanum habebat, in Chriſto experiretur, qvo ita omnes mortui in Adamo, in hoc Chriſto vivificarentur I. Cor. 15, 22. Pater vero dicitur Filium tradidiſſe qvia non pepercit ipſi Rom. 8, 32. ſed peccata totius mundi in ipſum conjecit, percuſſit ipſum propter peccata populi, & voluit ipſum conterere Eſa. 53, 5. fecit ipſum maledictum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

pro nobis Gal. 3, 13. adeo ut clamare in cruce neceſſum habuerit, Deus meus, Deus meus, cur me dereliqviſti. Pſal. 22, 1. Matth. 27, 46.

Tantæ molis erat lapſam reparare ſalutem.

XVII.

Ex tantâ amoris immenſi indicatione (qvod ſcilicet Deus, potius qvam vellet totum genus humanum in æternâ perditione relinqvere, maluerit non adoptivum aliqvem Filium, ſed unigenitum ſuum, Μεσίτην illum æternum, tradere,) ac tam ſpontaneo, magno, æqvivalente, imò ſuperabundante pretio, ſatisfactione & juſtitiâ, inventa eſt æterna redemptio, propitiatio & reconciliatio mundi, ut certi jam ſimus per infinitum illud infinitæ Perſonæ λύτρον, infinitam iram Dei placatam, & infinitæ ejus juſtitiæ ſatisfactum eſſe, illamq; redemptionem valere, & conſiſtere coram judicio Dei; ita temperatâ juſtitiâ & miſericordiâ Dei in procurandâ hominum ſalute, ut nec miſericordia juſtitiam violet, nec juſtitia miſericordiam impediat, interveniente puta merito Filii, qvo juſtitiæ Dei pleniſſimè eſt ſatisfactum.

XVIII.

Et hæc neceſſitas eſt illa propter qvam oportebat Filium hominis exaltari, non ſcilicet vis aliqva compellens, aut neceſſitas abſoluta, ſimplexvè: non ulla noſtra merita præcedentia, ullave prædiſpoſitio: non ullæ noſtræ preces ſuâ dignitate hoc impetrantes; ſed poſitâ Patris æternâ dilectione, ac ſpontaneâ Filii oblatione ad hunc excellentioris dilectionis gradum indicandum, & ad condignam ſatisfactionem Patri reddendam, ita ut juſtitiæ ſimul & miſericordiæ ejus eſſet ſatisfactum, neceſſaria erat Chriſti mors

ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

ad mundi ſatisfactionem, utpote, ſine qvâ illa neutiqvam fieri potuiſſet, Luc. 24, 26. & 46. perveniente ita Divinâ ſapientiâ & Dilectione ſeu benignitate, ſupra omnem noſtrum captum, eò qvò humana ſapientia & dilectio nullâ ratione pervenire potuit, poteſtve.

XIX.

Qvanqvam vero Deus Filium ſuum univerſo mundo ex tali dilectione miſerit, & Filius pro peccatis univerſi mundi ſufficientiſſimè ſatisfecerit, non tamen omnes ſalvantur & participes fiunt ſalutis, ſed ſoli credentes, iiq; omnes, qvi veram fidem, eamq; vel firmam, vel infirmam adhuc habent, uſq; ad finem usq; retinent, qvæ unicum organum eſt, qvô meritum Chriſti, per qvod ſalus acqviſita eſt, fit noſtrum; ita qvidem, ut qvicunq; fiduciâ meriti Chriſti gratiam Dei expetunt, ii ſoli fruantur miſericordiâ Dei, ac efficaciam meriti Chriſti, & finem fidei proprium, nempe vitam æternam, conſeqvantur, ne illis in æternum pereundum ſit cum cœteris, qvi hâc fide in Dei gratiam & reconciliationem Chriſti deſtituuntur.

XX.

Et ſic decretum de ſalvandis per Chriſtum hominibus neutiqvam eſt abſolutum, utut ſit ex dilectione gratuitâ Dei, ſed reſpicit Chriſtum fide apprehendendum: Qvæ fides non eſt qvalitas qvædam à charitate informata, qvæ ipſi dilectioni & gratiæ in hoc actu oppoſita foret, ſed medium juſtitiam à Chriſto nobis partem & paratam recipiens & apprehendens.

XXI.

Cauſa ergo Finalis, cujus gratiâ ~~Chriſtus~~ Deus dederit Filium, eumq; in mundum miſerit, eſt ſalus & redem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

ptio generis humani, qvæ porrò in textu illuſtratur Antitheſi hiſce verbis: v. 17. οὐ γὰρ ἀπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τὸν κόσμον ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ.

XXII.

Hujus ἀντιθέσεως ἄρσει removetur falſa cauſa adventus Filii Dei in mundum, qvod ſcilicet Deus non miſerit Filium ſuum, ut condemnaret mundum, ſeu homines mundanos in mundo degentes, qvantumvis immundiſſimos, reos ſcilicet culpæ & pœnæ, ſive damnationis: In theſi verò cauſa vera ponitur hujus adventus, qvod ſc. Deus miſerit Filium ſuum, ut mundus, i. e. homines in mundo, ſalventur per eum.

XXIII.

Sermo a. heic eſt de primo eoq; humili adventu Chriſti in mundum, qvo non venit, tanqvam Judex, inqviſiturus in peccata hominũ: ſed ut Salvator & Redemptor, qvi, morte ſuâ ignominioſiſſimâ, vitam & redemptionem mundo impetraret, remiſſurus qvæ ab hominibus perpetrata fuerunt; non vero de altero glorioſo, qvo venturus eſt non ut remittat, ſed ut inqvirat & juſtè puniat.

XXIV.

Et hic ordo convenientiſſimus fuit, ut prius ad ſervandum genus humanum ex maledictione Legis, qvam ad judicandum veniret Filius Dei. Nam ſi inverſo ordine veniſſet, neminem, qvem ſervaret inveniſſet, juxta illa qvæ ſunt Pſal. 14, 3.

XXV.

Qvum enim Deus ſciret humanum genus rigorem judicii divini, ad Legis tribunal tractum, non potuiſſe ſuſtinere Pſ. 130, 2. ideo priusqvam omnes ad judi-

judicium illud adducerentur, miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut mundus non judicaretur, [propoſitâ ſcilicet vel benedictione vel maledictione Legis, prout qvilibet vel permanſerat, vel non permanſerat in omnibus qvæ in Lege ſcripta erant,] ſed ſalvaretur, facto ſcilicet Chriſto peccato & maledicto pro nobis Gal. 3, 12. qvi etiam noſtro loco perfectè Legi Dei ſatisfecit: unde fit qvod non judicentur credentes in ipſum.

XXVI.

Chriſtus enim, ſubeundo pro nobis judicium illud Dei, promeruit & acqviſivit credentibus privilegium exemptionis & appellationis, ita ut mutato jam foro ſeu tribunali judicii, Pater omne judicium dederit Filio Mediatori Joh. 5, 27. Unde à ſententiâ damnationis, qvam coram tribunali Legis juſto Dei judicio, propter peccata promeriti ſumus, abſolvimur propter ſatisfactionem Chriſti, qvam fide apprehenſam interponimus inter nos & iratum Deum, placatum interim in tali Filio; ita confidenter à foro iræ ad thronum gratiæ appellantes & provocantes.

XXVII.

Hunc autem fuiſſe finem primi adventus Chriſti in mundum, adferre ſcilicet ſalutem credentibus, & liberare eos merito obedientiæ tam Legis qvam crucis à maledictione Legis, æternâq; condemnatione, ſæpè inculcatur in Moſe, Prophetis & Novo Teſtamento, ut legere eſt Gen. 3, 5. & 12, 3. Eſa. 53, 7. 8. Matth. 1, 21. & 18, 11. Luc. 5, 32. & paſſim alibi.

XXVIII.

Et hoc fine diſtingvitur miniſterium & doctrina Chriſti, à miniſterio & doctrina Moſis. Moſes Lege

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

ſuâ peccata cum Dei irâ oſtendit, propptereaq; omnes homines condemnationis reos convincit; Chriſti autem doctrina longè alia eſt; Non enim venit primario, ut peccata oſtenderet, nec ut pro commiſſis ſceleribus homines condemnaret, qvod ſatis à Moſe præſtitum erat; ſed ut Lege perditos per Euangelium recrearet & ſublevaret, comminantemq; Legem cum juſtificante gratiâ permutaret.

XXIX.

Ut namq; decebat per ſervum Moſen Legem tràdi condemnantem; ita per Filium conveniebat à maledictione Legis homines liberari, ægritudinemque mundi curari miſericordiâ.

XXX.

Qvod autem infra Cap. 9. v. 39. dicit Dominus ſe veniſſe ad judicium, ſicut & illud, qvod occurrit Luc. 2, 34. poſitum ſcilicet eſſe Chriſtum multis in ruinam, id dextrè explicatum cum præſenti loco non pugnat. Verè enim Chriſtus, ex decreto & voluntate Patris, miſſus eſt in mundum, ut redimeret & ſalvaret mundum, non verò judicaret vel condemnaret eum; Cæterum, qvod hic adventus Chriſti Phariſæis & aliis ceſſerit ad judicium, multisq; fuerit ruina, id illorum malitiæ & ſtupendæ ingratitudini in ſolidum eſt adſcribendũ, qvod ſc. tales ſpreverint illud conſilium & benevolam iſtam voluntatem Dei: Chriſto autem non niſi per accidens hoc tribuendum; perinde ut Miniſterium, qvod per ſe eſt odor vitæ ad vitam, per accidens fit pereuntibus odor mortis ad mortem II. Corinth. 2, 16.

XXXI.

Alii diſtingvunt heic inter judicium Retributionis,

nis, ad qvod venturus eſt Chriſtus in extremo judi-
cio, redditurus unicuiq; ſecundũ opera ſua, & Diſcre-
tionis, qvod fit interventu certarum notarum qvibus
verè pii ab Hypocritis, & electi à reprobis in hoc ſe-
culo, diſcernuntur, de qvo locus infra cap. 9. intelli-
gendus videtur.

XXXII.

Ex eo verò, qvod Chriſtus dicitur veniſſe in mun-
dum, ut ſalvetur mundus per eum, infallibiliter col-
ligitur abſurdiſſimam eſſe Pelagianorum ac Schola-
ſticorum nonnullorũ cum Andreæ Oſiandri unà ſen-
tentiam, qvi contendunt Filium Dei in mundum
venturum, & carnem noſtram adſumturum fuiſſe,
etiamſi homines non peccaſſent. Si enim primi Pa-
rentes in integritate concreatâ perſtitiſſent, nulli
fuiſſent in genere humano perditi, proindeq; nec ma-
gis opus fuiſſet generi humano Salvatore, qvam ſa-
nis Medico, Matth. 9, 12. Conferantur loca Eſa. 9, 6.
& 53, 4. 5. Luc. 19, 10. Rom. 8, 3. 4. Gal. 4, 4. 5. I.
Tim. 1, 15. ut taceamus Symbolum Nicenum, cum
Orthodoxis omnibus Patribus, idem ſtatuere.

XXXIII.

Chriſtum vero non veniſſe primo ſuo adventu in
mundum, ſumpto mundo pro orbe terrarum, ut ju-
dicaret mundũ, ſeu totum genus humanum, probatur
porro hiſce verbis: v. 18. ὁ πιςέυων εἰς ἀυτὸν ȣ̓ κρίνεται,
ὁ δὲ μὴ πιςεύων ἤδη κέκριται, ὅτι μὴ πεπίςευκεν εἰς τὸ ὄνομα
τȣ̃ μονογενȣ̃ς ὑ̃ιȣ τȣ̃ Θεȣ̃.

XXXIV.

Heic dividitur univerſum genus humanum in
credentes & non credentes, monſtraturq; neq; hos
neq; illos à Chriſto judicatos eſſe.

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

XXXV.

Non credentes qvia illi non judicantur ſecundum Legem, ſeu non condemnantur, Chriſto ſcilicet facto pro mundo peccato II. Cor. 5, 21. & maledicto Gal. 3, 13. qvi acqviſivit talibus, applicantibus ſibi verâ fide ſuum meritũ ſuamq; paſſionem ac oblatam in Euangelio ſalutem, cũ redemptione ſufficientiſſimâ, privilegium exemptionis ab illo Legis judicio: ita ut ipſi facti ſint juſtitia Dei, juſti coram Deo conſtituti. Rom. 5, 19. & per talem Mediatorem ſalvi ab irâ Dei, adeo ut qvanqvam debeant comparere in altero Chriſti adventu ad judicium extremum ſe ſiſtendo Rom. 14, 10. 11. II. Corinth. 5, 10. rationem reddendo Rom. 11, 12. & 14, 12. ſententiam audiendo Matt. 25, 34. & præmia tandem reportando II. Cor. 5, 10. non tamen judicabuntur, ne tunc qvidem, aut ratione manifeſtationis peccatorum, qvia illa per Chriſti ſangvinem deleta ſunt Eſ. 43, 25. Ezech. 33, 16. I. Johan. 1, 7. aut ſententiæ damnatoriæ Rom. 8, 1. ſicut nec ratione damnationis aut æternarum pœnarum Gal. 3, 13.

XXXVI.

Qvi vero non credunt, jam judicati ſunt, qvum nulla alia ratio ſit effugiendi ſententiam damnationis niſi unica hæc, ut Chriſtus, cum ſuo merito, fide apprehenſus judicio Dei opponatur. Qvi ergo ſalutem in Chriſto propoſitam vel contemnit vel rejicit, illi nihil reſtat niſi revelatio & executio damnationis: jam enim judicatus eſt tam coram tribunali Legis, propter peccata, qvam coram tribunali Chriſti, propter ſpretam & rejectam gratiam II. Theſſ. 1, 8.

XXXVII.

Ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

Ut ergo ſolâ fide juſtificamur, dum credentes, recipientes Chriſtum ejusq; meritum ſibi firmiter applicantes, habent vitam æternam; ita incredulitas perſeverans, qvâ non creditur in nomen unigeniti Filii Dei, i. e. fides non habetur, cum confidentiâ, iis qvæ de unigeniti Filii Dei Perſonâ & Officio in Euangelio ejusq; promiſſionibus proponuntur, qvæ I. Joh. 5, 10. dicuntur teſtimonium, qvod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo, ſed Chriſtus cum univerſo ſuo merito, vel nunqvam recipitur, vel ad tempus receptus tandem contemnitur ac pedibus q. conculcatur, Hebr. 10, 26. eſt cauſa condemnationis.

XXXVIII.

Qvanqvam enim peccatum omne, ratione meriti, ſit remota & mediata cauſa condemnationis, juxta illa qvæ ſunt Deut. 27, 26. Gal. 3. 10. Ezech. 18, 4. Rom. 6, 23. Jacob. 2, 10. ſola tamen incredulitas, ratione executionis in extremo judicio, eſt proxima & immediata cauſa condemnationis, qvæ etiam cauſa eſt operum malorum, ſicut contra fides bonorum Matth. 11, 21. Marc. 16, 16. Joh. 3, 8. & 8, 34. & 15, 22. & 16, 9. ac ſolitaria eſt non ſimpliciter, ſed reſpectu defectus organi, qvo ſalus oblata in Chriſto cum Chriſto unâ unicè apprehenditur I. Johan. 5, 12. II. Theſſ. 1, 8.

XXXIX.

Et hac ratione neutiqvam tollit hoc dictum, aut annihilat Reſurrectionem mortuorum, cum extremo judicio, ſed tantum hoc dicit, qvod qvi non credit, cauſam condemnationis habeat, Legisq; damnationi ſubjectus ſit: unde etiam judicatus dicitur, utut ſententia primum ferenda ſit in extremo judicio:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

non ſecus ac qvi homicidium committit, jam judicatus dicitur, qvod Lege latâ contra homicidas morti jam ſit addictus, qvamvis ſententia nondum à Judice pronunciata ſit.

XL.

Qvo verò pacto qvi non credit, jam juſtè judicatus, ſeu condemnatus ſit, per remotionem cauſæ condemnationis à Deo, & translationem culpæ in homines, cum ratione unà declaratur verbis v. 19. qvæ ita habent: Ἄυτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς· ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα.

XLI.

Heic accipitur κρίσις pro altera ſpecie ſententiæ in judicio, nempe condemnatione, perinde ut & ipſum verbum κρίνω v. 17. & 18. Condemnatio autem ponitur pro cauſâ, formâ & ratione condemnationis, non ſecus ac Rom. 7, 7. Lex peccatum dicitur, i. e. peccati cauſa.

XLII.

Vocabulorum vero Lucis & Tenebrarum uſus latiſſimè patet in ſcripturâ, dum vel propriè accipiuntur Gen. 1. 2. 3. qvâ ratione ut lux eſt claritas ſeu qvalitas lucida, ita tenebræ ſunt privatio lucis, videlicet obſcuritas, qvæ tamen ſignificata heic locum non habent: vel impropriè & tropicè, qvomodo ſignificata qvinq; modis præcipuè variant.

XLIII.

Primò enim ut Lux eſt mentis clara de Deo notitia, Eſa. 8, 20. Zach. 14, 6. 7. ita per Tenebras mentis cœcitas & ignorantia ſignificatur; Qvod enim lux & tenebræ ſunt externo oculo, hoc notitia clara & ignorantia eſt interno i. e. menti.

Secun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

XLIV.

Secundo ut Lux accipitur pro cauſa claræ notitiæ Dei, i.e. pro ipſo verbo Dei, juxta illud Pſ. 119, 10. verbum tuum lumen ſemitis meis: ita Tenebræ cœcitatis cauſam & erroneam doctrinam notant.

XLV.

Tertio ut Lux effectum claræ notitiæ Dei in homine ſignificat, videlicet vitam ſanctam, Matth. 5, 16. Ita Tenebræ effectum erroneæ doctrinæ notant, h. e. malos mores, hypocriſin, idololatriam, flagitia, facinora Rom. 13, 12. Eph. 5, 12.

XLVI.

Qvartò ut Lux ſumitur pro cauſa unde lux exiſtit, qvo modo Chriſtus dicitur eſſe Lux Eſa. 42, 7. & 49, 6. ſupra cap. 1, 40. Act. 13, 47. & pro Subjecto in qvod lux transfunditur, piis ſc. qvi lucem Chriſtum cum ſuo Euangelio per fidem admittunt Eph. 5, 6.; ita Tenebræ pro causâ Diabolo, & pro Subjecto, hominibus ſc: impiis & flagitioſè viventibus accipiuntur Luc. 22, 53.

XLVII.

Qvinto ut Lux regnum Chriſti dicitur, & gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro; ita Tenebræ regnum Diaboli ſignificant, tum heic in culpâ, tum ibi, poſt judicium, in pœnis æternis Matth. 8, 12. II. Pet. 2, 17. Jud. v. 13. Unde Sathan Princeps tenebrarum dicitur, cœcitatis puta malitiæq; in præſenti, & ſuppliciorum æternorum in futuro Eph. 6, 12. Et hæ ſunt Tenebræ exteriores, ut illæ interiores.

XLVIII.

Ex his vero ſignificatis in hunc locum qvadrant primùm cum qvarto præcipuè.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

XLIX.

Verba autem illa [magis dilexerunt tenebras qvam lucem ;] nonnulli exponunt comparativè, ſecundum Græcorum & Latinorum conſvetudinem, ad exaggerandam corruptionem & malitiam omnium hominum nativam, qvæ tanta eſt, ut cum in naturalibus ament lucem præ tenebris, in ſupernaturalibus præferant has illi: Qvidam verò negativè, juxta Hebræorum idiotiſmum, ut omnem δύναμιν & facultatem convertendi ſe ad Deum homini ademptam heic intelligamus, cum in peccatis omnes ſint mortui.

L.

Et tales Tenebræ hodieq; ſunt vel Phariſaicæ vel Epicureæ.

LI.

Phariſæi in perſvaſione propriæ juſtitiæ, rationis opinionibus, & hominum traditionibus & cultibus indè exſtructis plus delectantur, qvam luce Euangelii, ideoq; illam tam clarè ſplendentem non ſimpliciter acceptant, ita ut in ſolo Chriſto fide qværant ſalutem.

LII.

Nec eos excuſat, qvod intentione non mala hoc faciant: hoc enim eſt judicium: qvi lucem hanc non excipit, ſed tenebras ſuas amat, condemnabitur.

LIII.

Epicuræi vero ſordibus peccatorum & operibus tenebrarum ita delectantur, ut per Pœnitentiam nolint ab iis recedere, nec per Fidem ab iis ſolvi & liberari.

LIV.

Nec fallant hi ſe inani perſvaſione ſalutis: qvi enim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

enim magis amant tenebras qvam lucem, habent judicium condemnationis.

LV.

Cum ergo tenebræ operirent terram & caligo populos Eſa. 60, 2. cum totus mundus ſederet in tenebris, & in umbrâ mortis, ipſiq; homines lucem veram per ſe non invenirent, Lux oriens ex alto viſitavit mundum, & illuxit mundo, luce Euangelii partam à ſe vitam & ſalutem gratis offerens.

LVI.

Et qvanqvam mundo non eſſet magno labore & difficili induſtriâ Lux qværenda & acqvirenda, ſed Lux ipſa veniret ultrò in mundum, qvam nemo ſuo merito obtinuit, nemo ſuâ poteſtate attulit, aut ſuâ diligentiâ invenit; homines tamen, qvod deplorandum, magis dilexerunt tenebras qvam lucem, ut propterea juſta ſit eorum condemnatio qvi non credunt.

LVII.

Et hinc Chriſtus qvando venerit ad judicium, ſumpturus vindictam ab illis qvi non noverunt Deum qvem noſſe potuerunt, & qvi Euangelio non obediverunt; II. Theſſ. 1, 8. hanc ſententiam condemnationis pronunciabit: propter multiplicia peccata tua incideras in condemnationem Legis: ego verò judicium illud pro te ſubii, & paſſione meâ amariſſimâ ab illâ condemnatione te liberavi, & qvidem ut Lux illuminatura omnem hominem veni in mundum, tu verò magis dilexiſti tenebras qvam lucem; duplex ergo erit tua condemnatio; primo propter peccata ſecundum Legem, ſecundo propter contemptum Euangelii.

LVIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

Et hic erit vermis in æternâ condemnatione nunqvam moriturus; tuâ culpâ periiſti, potuiſſes facile evadere: Lux venit in mundum: qvoties volui te congregare, & noluiſti? hic erit fletus & ſtridor dentium.

LIX.

Cauſa autem qvare dilexerint homines magis Tenebras qvàm Lucem ſubjungitur hæc: qvia opera illorum erant mala. Qvæ verba non ſunt intelligenda de illis, qvi tantum peccata & mala opera habebant; hi namq; potius ad lucem hanc veniebant, ut ſanarentur; ſed de his qvi talia opera amabant, nec ab iis ſe avertere, ſed potius in iis perſeverare cupiebant, illorum utilitate & delectatione tracti; Unde & utitur Euangeliſta Præterito imperfecto, ad ſignificandum perſeverantiam illorum in malis operibus.

LX.

Et talia fuerunt opera Phariſæorum, de qvibus heic præcipuè eſt ſermo, qvi fruſtrà colebant Deum, docentes mandata hominum, ac ita, polluti mente & conſcientiâ, jactabant ſuam prærogativam carnis, ſua merita ſacrificiorum, ſuamq; fiduciam operum.

LXI.

Imo talia mala opera ſunt illa qvæ enumerat Paul: Gal. 5, 19.20.21. de qvibus ſanctè affirmat, qvod qvi talia agunt, hoc eſt, ſecurè in illis pergunt, nec deſiſtunt ab illis per veram & ſeriam Pœnitentiam, Regnum Dei non conſeqventur.

LXII.

Talium hominum guttur eſt inſtar patentis ſepulchri Pſ. 5, 11. & 14,4. Rom. 3, 13. hi ſunt ſimiles ſepulchris dealbatis &c: Matth. 23, 27. qvorum cor &

con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

conſcientia ſunt polluta Tit. 1, 15. Imò hi ſunt alienati à vitâ Dei Eph. 4, 18.

LXIII.

Et hanc eſſe genuinam cauſam prioris effectus monſtratur porrò ſimilitudine lucis corporeæ ad lumen fidei & veritatis Chriſti, qvâ piorum pariter & impiorum conditio deſcribitur; cujus prima pars, impios concernens, hiſce proponitur verbis: v. 20. πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων, μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

LXIV.

In hac & ſeqventi ſententiâ Metaphorica eſt locutio, deſumpta, in primâ hac qvaſi proverbiali ſententiâ, ab iis, qvi cum malè agunt tenebras qværunt, & ſolem fugiunt, in qvantum male agunt; [qvi enim male agentes lucem qværunt, illud faciunt, non ut malum cernatur, ſed qvia inde vindictam, lucrum & gratiam qværunt.]

LXV.

Senſus ergo eſt hic. Qvemadmodum qvi dedecoroſam rem patrat, noctem amat & ſolem fugit, ne prodantur ejus opera Job. 24, 14. 15. I. Theſſ. 5, 7. Ita qvi deditus eſt malis operibus, qvamdiu talis eſt, odit lucem, Chriſtum ſcilicet cum ſuo verbo, qvatenus affectui ejus contraria eſt, & injuſtiam ipſius ac hypocriſin prodit: & ideo non accedit ad lucem, ſed fugit eam, ut non arguantur, h. e. manifeſtentur & reprobentur opera ipſius mala.

LXVI.

Obſervant autem heic nonnulli in textu non dici, qvi mala egit, ſed qvi mala agit, ſeu mala agens, ad inſinuandum potius effectum peccati qvam peccatum,

catum, ac exemplum non eſſe ſolum de præterito, ſed etiam de futuro ac perſeverantia in malo.

LXVII.

Latinus præterea Interpres pro mala legit malè, ut nonnullis videtur, non malè, cum conſtet pejus eſſe malè operari, qvam malum. Illud enim ſignificare videtur ſtudioſè & cum contemptu ac perſeveranter peccare, qvod proprium eſt impiorum & incredulorum: Piis interim interdum ex infirmitate humanâ mala agentibus & peccantibus, non autem ex habitu malitiæ malè facientibus: unde etiam nec fugiunt lucem, ſed potius ad illam currunt ut videant ſuos defectus, illos defleant & remiſſionem gratuitam obtineant, propter meritum Chriſti per fidem vivam apprehenſum.

LXIIX.

Altera deniq; pars ſimilitudinis piorum conditionem delineans, ſuperiorisq; propterea continens ἀντίθεσιν hiſce comprehenditur verbis: v. 21. ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς ἵνα φανερωθῆ αὐτοῦ τὰ ἔργα: ὅτι ἐν θεῷ ἐστιν εἰργασμένα.

LXIX.

In hac ſententia per ἀλήθειαν intelligitur interior renovatio juxta expoſitionem Apoſtoli Eph. 4, 21. Qvo ſenſu etiam dicit Chriſtus ſupra v. 3. Qvod natum eſt ex Spiritu ſpititus eſt: Homo enim regeneratus renovatur per Spiritum Sanctum, & ita evadit in hominem ſpiritualem. Gal. 6, 1. in qvo accendit Spiritus novos motus, ut non amplius ſit mera caro, Gen. 6. v. 3.

LXX.

Perinde ergo ut homo qvi honeſta facit amat ſolem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

ſolem, ut ex rectè factis apud homines laudem inveniat: ita homo à Spiritu ſancto renovatus, qvi induit novum hominem, conditum ſecundum Deum in juſtitia & ſanctitate veritatis, ille non odit, non fugit, ſed amat lucem, Chriſtum ſcilicet cum ſuo Euangelio, nec veretur ne ipſius opera producantur in lucem. Ita enim vivit, ita agit, ut non metuat lucem. Eſt namq; ipſe Lux in Domino Eph. 5, 8. cujus opera lucent coram hominibus Matth. 5, 16. cujus iniqvitas eſt remiſſa & cujus peccata tecta Pſal. 32. v. 1.

LXXI.

Talis homo ſtudet & deſiderat æqva juſtaq; facere, & ſic teſtatur fidem ſuam operibus bonis, qvalia ſunt ſpiritus contritus & humiliatus Pſal. 51, 19. confeſſio, Divini nominis invocatio, patientia in cruce, opera charitatis proximo exhibenda & ſimilia.

LXXII.

Qvi enim Spiritu ſancto renovati ſunt, illi opera verè bona unicè proferunt Gal. 5, 22. 23. I. Joh. 3, 10. Et talia opera heic deſcribuntur, qvod ſint facta in Deo, ſcilicet per Deum Deiq; inſtinctu Eſa. 26, 12. Phil. 2, 13. ſive ſecundum Deum, ita ut ſint & voluntati Divinæ & Legi conformia.

LXXIII.

Ad hoc autem ut hominis Chriſtiani opera ſint facta in Deo, reqviritur Primò, ut fiant juxta normam divinæ Legis Eph. 2, 10. non verò juxta præſcripta humanarum traditionum, vel juxta proprium arbitrium Num. 15, 39. Deut. 12, 8. & 32. Matth. 15. v. 9.

LXXIV.

Secundò ut fiant ex Spiritu non ex naturalibus liberi arbitrii viribus; ſed Dei Spiritu mentem renovante, & ſpirituales facultates ad præſtanda bona opera ſubminiſtrante I. Cor. 12, 3.

LXXV.

Tertiò ut fiant verâ in Chriſtum fide, per qvam perſona fit Deo reconciliata, ita ut Chriſtus per fidem habitet in cordibus Eph. 3, 17. Aliàs enim bona opera hominum ſunt peccata Rom. 14,23. Deoqvè propterea minimè grata I. Pet. 2, 5.

LXXVI.

Qvartò ut fiant ad Dei gloriam, proximiq; commodum Matth. 5, 16.

LXXVII.

Qvintò ut fiant absq; opinione meriti, absq; fiduciâ in opera. Cum enim volenti facere bonum adjaceat malum Rom. 7, 21. ideo agnoſcenda eſt imperfectio bonis operibus adhærens, & qvia ex inſtitutione Apoſtoli I Joh. 1,8. ſi dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus & veritas in nobis non eſt, ideo confitenda eſt immunditi es cum noſtris operibus conjuncta: idq; ad exempla piorum Pſal. 90,8. 130,3. & 143,2. qvo ſic adſit cum novâ obedientiâ & in humilitate agnitio, & in veritate confeſſio, qvod tanqvam pannus menſtruata ſint univerſæ juſtitiæ noſtræ Eſa. 64, 6.

LXXIIX.

Et has adhærentes ſordes diſcunt renati agnoſcere, qvando ad lucem veniunt, & ſentiunt fide per Chriſtum illas tegi. Ipſa vero gratia, adoptio & vita æterna non noſtrorum operum, ſed juſtitiæ, obedien-

dientiæ & paſſionis Chriſti merces eſt, noſtro vero reſpectu gratuitum donum, Rom. 6, 23.

LXXIX.

Qvi aliàs ex hoc loco conantur probare hominem poſſe benefacere, & Deo aliqvid gratum præſtare, anteqvam luce Euangelii fuerit illuminatus, & inde exſtruunt Liberum arbitrium, & meritum congrui, extendunt hoc dictum ultra limites intra qvos claudi debet.

LXXX.

Opponitur enim hoc dictum principaliter hypocriſi Phariſæorum, [qvorum opera externa fuerunt ſpecioſiſſima & multis utilia] non agnoſcentium ſua peccata, tumentium meritis ſacrificiorum, & confidentium juſtitiæ operum.

LXXXI.

Proinde facere veritatem & bona opera in Deo, eſt cum Publicano Luc. 18, 13. poſt agnita peccata abjicere fiduciam carnis, propriæ dignitatis & juſtitiæ, qvæ opera per accidens fiunt bona opera, qvum lucem Euangelii pœnitentes recipiunt.

LXXXII.

Poſtqvam autem fide Euangelii fuerint homines regenerati, edunt verè bona opera, qvæ ſunt fructus ex radice fidei provenientes. Qvam etiam veram & vivam fidem in nobis adaugeat Deus Pater per Spiritum Sanctum propter JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum, cui individuæ Trinitati ſit laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum,

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-240 4° 1346